3

IMMACVLATA CONCEPTIO BEATAE MARIAE VIRGINIS

DEDVCTA

EX ORIGINE PECCATI ORIGINALIS.

PER

R. P. Martinum de Eſparza Artieda Societ. Ieſu.

Euulgata Neapoli ſtudio, ac Pietate

R. P. AVGVSTINI DE ANGELIS

Congreg. Somaſchæ.

BIBLIOTECA NAZ.LE VITTORIO EMANUELE ROMA



Romæ, Maceratæ, ac demum Neapoli,
Ex Typographia Hęredum Camilli Caualli. 1661.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Poteſt Reimprimi ſi Reuerendiſs. Domino Vicario Generali viſum fuerit.

Can. Renzi Conſul. S. Off.

Reimprimatur

Paulus Garbinatus Vic. Gen.

Digitized by Google

IMMACVLATA CONCEPTIO BEATAE MARIAE VIRGINIS

DEDVCTA EX ORIGINE PECCATI ORIGINALIS.

DEVS *fecit hominem rectum*, vt habetur 10. Eccleſiaſtis 30. Quare, ſicut faciendo hominem, remouit eũ à nihilo, cui ſuberat ex ſua natura impotens eſſe à ſe, ſolùmque à ſe potens non eſſe; ita hominem faciendo rectum, remouit eundem ab inclinatione, & decliuitate naturali, ſeu conueniēte ſibi ex ſe; à qua proinde liberari non poterat viribus ſuis, nec erigi in rectitudinem perfectam. Rectum porrò dicitur inferius reſpectu ſuperiorum, quando eſt propinquiſſimum ſupremo abſq; vlla inclinatione, ſeu decliuitate ad ea, quæ ſunt infra ipſum, aut ad latus; ita vt in nulla parte loci, cui inſiſtit, poſſit obtine-

Digitized by Google

re maiorem propinquitatem ad ſupremum, & maiorem excluſionem inclinationis deorſum, aut ad latus. Dedit igitur Deus primo homini perfectam ſubordinationem rationis ſuperioris ad ipſum Deum,nec nõ appetitus inferioris ad rationẽ ſuperiorem. Hoc enim pacto, & non aliter poteſt homo obtinere ſummam propinquitatem ad ſummum, & ſupremum bonum cum excluſione omnis inclinationis,& decliuitatis ad ea,quæ ſunt infra hominem,aut extra lineam rectam reſpectu Dei.Ob quam rationem prędictum teſtimonium vſurpatur frequenter ab Auguſtino in hoc ſenſu,præſertim in libris aduerſus Iulianum, maximè vero lib.6.c.5.& 7.

Iſtiuſmodi rectitudo collata eſt Adæ primò, & & principaliter per gratiam, & charitatem, vt docent D.Thomas 1.p.q.95.ar.1.& alij cõmuniter. Quia ſola charitas perfectè ſubordinat Deo voluntatem humanam, ad quam deinde pertinet, vt reliquas omnes vires animi, & corporis imperio ſuo dirigat, ac ordinet ad Deum nulla permiſſa inclinatione ipſi contraria ad res inferiores. Habitus autem charitatis poſtulat ex ſua natura,vt non conferatur ſubiecto compoti rationis, niſi dependenter ab eius conſenſu, & diſpoſitione morali: vti docent communiter Theologi cum D.Thoma 1.2.q.113.ar.3.& 5. Et de Veritate q.28. ar. 3. & 4. Iam verò primo homine in hunc modum donato gratia,& charitate,ac proindè eleuato ad conſortium diuinæ naturæ, atque admiſſo ad perfectam amicitiam cum Deo,congruum imprimis fuit, vt filijs eius, atq; nepotibus fieret copia perueniendi ad eundem dignitatis, & gratię gradum: tùm ne Pater iam

in-

intimè, ac perfectè amicus Dei, & adhuc innocens cõtriſtaretur voluntate antecedenti diuina promiſſis filijs ineptis ad imitandum mores, modumque agendi paternos, & cum quibus ne loqui quidẽ poſſet de rebus, quæ forent dulciſſima præ cæteris, eademque vtiliſſima, ac decentiſſima colloquiorum materia, nempè de Myſterijs ſupernaturalibus, & quos vtcumque diligenter educaret, ac doceret, ad degenerandum potiùs dirigeret, quàm ad retinendum generis decus; tùm ne cum paribus in natura, abſq; vlla inæqualitatis cauſa ex parte ipſorum, vſq; adeo inęqualiter ageretur quòad ea, quę ex natura rei ęqualiter eſſent omnibus, & ſingulis conferibilia. Congruum verò minimè fuiſſet, vt eadem gratia conferretur poſteris non præeunte formaliter, vel æquiualenter ſimili conſenſu libero, & diſpoſitione ex parte ipſorum ad illam ſuſcipiendam; tùm ob eamdem exigentiam intrinſecam gratię reſpectu omnium; tùm ne Deus eſſet indulgentior in filios, quàm in patrem; cum potiùs pater præeminere deberet quòad gratioſa, vtpotè oneratus aliunde cura filiorum, & indigens, pro ipſorum bono, eorundem veneratione, quæ naturaliter eſt erga præeminentem quoad ea, quæ maximè æſtimantur.

Congruum deindè fuit, vt libera facultas eius conſenſus, ac diſpoſitionis neceſſariæ pro Sanctificatione poſterorum committeretur arbitrio, & electioni Adę. Certè hoc erat valdè deſiderabile reſpectu poſterorum, qui communi prouidentiæ, & cauſarum ſecundarum occurſibus cõnaturaliter euenturis relinquẽdi erant. Quia Adam præuiam animi, & corporis diſpoſitionem habuit immediatè ex opere, & magiſterio

 Dei,

Dei,cuius perfecta ſunt opera. Poſteri verò communi prouidentiæ relinquendi habuiſſent eandem præuiã præparationem animi,& corporis mediantibus cauſis ſecundis, quibus multiplici ex capite conuenit eſſe defectuoſis in opere ſuo. Maior igitur ſpes affulgebat proſperi euentus, ſi cauſa cõmunis poſterorum ſimul cum propria, ac perſonalis committeretur ſolius primi hominis arbitrio,ac liberæ electioni,ac proindè,vt ita fieret, fuit optabilius, ac beneficentius reſpectu eorũdem poſterorum. Nec fieri potuit,vt id ipſum nõ optaret etiam Adam ob naturalem affectum paternũ transformatiuum patris in filios, & præoccupantem eorum deſideria. Neq;verò votum erat irrationabile, vt quoad initium ſubſtantiale vitæ ſpiritualis, Pater vſque adeo ſpiritualiter perfectus ſubſtitueretur filijs non vſque adeò futuris idoneis, qui per ſeipſos, propriaque electione illud ducerent, ſibiq;prouiderent; imò manſuris per aliquot annos, abſque vſu rationis, nempe pro tempore infantiæ,ideòque manſuris interim,abſque donis ſupernaturalibus, & abſque pignore,ac ſemine vitæ æternæ, ſi nõ ſubueniretur diſpoſitione ad id neceſſaria cõcepta per voluntatẽ paternã.

Pater igitur miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui ea etiam præparat creaturis ſuis, quæ in cor hominis non aſcendunt, non ſolùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum benignè præuenit vota poſterorum,& deſiderio primi hominis iam amici ſui amicabiliter annuit;voluit,vt eius electio haberetur pro electione propria poſterorum quoad transfuſionem,vel iacturam iuſtitiæ originalis; atque hoc pacto beneficium illud ſpecialis optimæ præparationis

nis quoad animam, & corpus, quæ præiuit in primo homine,ampliauit, quoad fieri potuit, ad poſteros futuros inferiores quoad eandem Animi, & corporis præparationem præuiam.

Nihil tale factum eſt, aut oportuit, vt fieret reſpectu Angelorum. Quia Angeli, tam inferiores, quàm ſuperiores omnes immediatè creati à Deo, habuerunt itidem immediatè ab eodem ſolo totam præuiam præparationem ad primam electionem, ex qua penderet conſecutio, aut iactura primæ gratiæ, atque ideò omnes obtinuere eam præparationem proportionaliter æqualem. Cæteris autem paribus omninò congruit, vt vnuſquiſque ſibi adſit in cauſa propria, nec patiatur ſine compenſatione iacturam propriæ libertatis quatenùs transfuſæ in libertatem alterius, atque dependentiam ab aliena voluntate, maximè quòad ſuum ſummum bonum.

Ratione longè maiori eximi debuere à voluntate Adæ,& à communicatione, ac contingentia electionis eius Chriſtus Dominus, & Chriſti Domini digna Mater.Quia Chriſtus Dominus conceptus eſt ſuperueniente Spiritu Sancto, & obumbrante virtute Altiſſimi,vt habetur ex 1.Lucæ 35. &, *Omnipotens ſempiternus Deus glorioſę Virginis Marię corpus, & animam,vt dignum filij ipſius Dei habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparauit*, vt dicit Eccleſia in quadam ſua oratione. Vnde vterq;habuit immediatè à Deo augumentum proportionale ſpecialis bonæ diſpoſitionis quòad animam,& corpus vltra exigentiam, & vim actiuam cauſarum ſecundarum naturaliter occurrentium, atq; ideò in vtroq;de

fuit

ſuit ratio, ob quam expoſitum eſt oportuiſſe, vt cæterorum hominum voluntates in voluntatem primi hominis transfunderentur, eiuſq; electioni ſubiacerent. Imò adfuit ratio contraria. Quia, vt nihil dicatur de Christo Domino, cuius exemptio à voluntate, & peccato Adæ eſt certa ex fide, & multiplici ratione Theologica redditur indubitabilis, Beata Virgo accepit maiorem incomparabiliter gratiam, quàm Adam: Fuit enim *gratia plena*, vt habetur Lucæ 1. 28. cuius nihil ſimile legitur de Adam. Oportuit verò, vt ita ei præemineret Beata Virgo; Quia cum finem vltimum habuerit communem cum ipſo, habuit præterea finē proximum particularem incomparabiliter nobiliorē, vt gigneret hominem Deum; cum Adam deberet gignere puros homines. Sapientia autem diuina prępa-rat media cum iuſta proportione ad vnumquemque finem. Igitur Beatæ Virgini collata eſt gratia incomparabiliter maior, quàm Adæ, & conſequenter ob eandem rationem proportionis medij ad finem, collata eſt eidem præparatio animi, & corporis incomparabiliter melior ad voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum. Abſurdum autem fuiſſet ſubijcere voluntatem meliùs præparatam voluntati remiſſiùs præparatæ, & creare periculum in voluntate aliena, quale nullum adeſſet in propria. Eàdem igitur benigniſſimæ beneficentiæ ratione, qua voluntates cęterorum congruenter transfuſæ ſunt in voluntatē Adæ, eximi itidem debuere, & exemptę de facto ſunt voluntas Chriſti, & voluntas Beatæ Virginis.

Qua propter vniuerſale illud 5. ad Romanos 12. *In quo omnes peccauerunt*, accipiendum eſt de omnibus

bus inferioris conditionis quòad dona gratiæ, quàm ſuerit Adam ante peccatum. Quia peccare vnum in alio, præſupponit vnum in alio præcontineri, non ſolùm ſecundum corpulentam ſubſtantiam, aut etiam ſecundùm ſeminalem rationem, quod eſt commune cuiuis homini reſpectu ſui patris; ſed prçterea, idque maximè ſecundùm poteſtatem liberam, ac moralem vitandi, & committendi peccata. Hæc porrò præcontinentia requirit, ſaltem ex natura rei, maiorem in eodem genere, certè non minorem perfectionem præcontinentis, quàm præcontenti; ne diſſonè, ac violenter concludatur, & quaſi comprimatur, quod maius eſt, intra id, quod minus eſt ſecundùm eandem rationem, ſecundùm qnam illud excedit, & hoc exceditur. Apparuit autem non ſolùm Chriſtum Dominum, ſed etiam Beatam Virginem debuiſſe longè præeminere Adæ quòad perfectionem potentiæ liberæ, ac moralis. Ergo non ſolum voluntas Chriſti, ſed neq; voluntas Beatæ Virginis præcontēta fuit in voluntate Adæ, quòad contractionem peccati originalis. Ergo neuter intelligendus eſt inter eos omnes, qui peccauerunt in Adam, quia neuter intelligitur præcontentus moraliter in eodem. Eadem eſt ratio, & ſimilis intelligentia circa alias eiuſmodi locutiones formæ vniuerſalis.

Accedit B. Virginem non ſolùm nullum vnquam commiſiſſe peccatum, aut lethale, aut venıale, quod eſt certum ex fide; verùm etiam præditam fuiſſe neceſſitate, vt minimùm morali, ſemper honeſtè operādi, & nunquam peccandi; atque ideo præuentam fuiſſe ante omnes, & ſingulos ſuos actus liberos vberioribus diuinæ gratiæ auxilijs, quàm quæ collata fuere

Adæ

Digitized by Google

Adæ in ſtatu innocentiæ; in quo videlicet, relicta illi eſt poteſtas moralis peccandi etiam lethaliter, vti de facto peccauit; ac demum adſtitiſſe ſemper eidem Beatæ Virgini ſingularem Dei prouidentiam, ac protectionem, ratione cuius redderetur immunis ab omni peccato perſonali, atq; ab omni periculo proximo peccandi. Quæ omnia ſupponuntur vt certa ex communi Theologorum conſenſu, vti obſeruant Suarez, Vaſquez, & alij iuxtà doctrinam D. Thomæ q. 24. de Verit. ar. 9. Quodnam autem prouidentiæ, & iuſtæ, ac rationabilis conſequentiæ genus fuiſſet, vt voluntas vberioribus auxilijs gratiæ præuenienda ſubijceretur voluntati præuentæ minori gratia; vtque fluctuaret in negotio ſalutis æternæ, & exponeretur periculo naufragij per dependentiam à voluntate aliena, quæ ductu ſuo, atq; arbitrio pręmuniendo ſpecialiſſimis gratiæ ſubſidijs ſalua certiſſimè, & incolumis futura eſſet? Profectò quantùm benignitatis, & paternæ miſericordiæ emicuit, iuxtà dicta, in transfuſione cęterarum voluntatum in vōlūtatem Adæ; tantundem immitis, nec ſibi ſatis cohærentis prouidentiæ opus fuiſſet, ſi Deus ex vna parte ſtatuiſſet tanta, ac tali gratiæ prærogatiua ſingulari præuenire, ac præmunire voluntatē Beatæ Virginis ante omnes, & ſingulos ſuos actus liberos; ſimulque ex parte altera expoſuiſſet eandem Beatam Virginem periculo contrahendi peccati per transfuſionem voluntatis eius in voluntatem Adæ; atque ſublime ædificium gtatiæ, quod erexiſſet in Beata Virgine per immanentem, atque inhærentem intrinſecè cumulum donorum ſupernaturalium, ſubruiſſet, ac fruſtrauiſſet, per extrinſecam ſubordinationem volun-

ſuntatis, vſq; adeò validè præmunitæ reſpectu voluntatis labilis, & expoſitæ periculo ruinæ, quam de facto ſubijt. Quæ cum ſint planè incredibilia, credendũ minimè eſt, Beatam Virginem ſubiacuiſſe voluntati, & arbitrio Adæ quòad ſortem amittendæ, aut obtinendæ iuſtitiæ originalis, & contrahendi reipſa, aut non contrahendi peccati originalis.

Verùm, quia omnia dona gratiæ, in quorum ſpecialem cumulum congeſtum in Beatam Virginem reuocata eſt exemptio à peccato originali, proceſſerunt ex meritis Chriſti Domini, proceſſit vtique ab eiſdem eadem Beatæ Virginis exemptio, atque ideò ex ijſdem Redemptoris meritis obtinuit Beata Virgo redemptionem præſeruatiuam à peccato originali, quatenùs reipſa contrahendo; cum peccatum Adæ, quantùm eſt ex ſe, habuerit ſufficientem vim demeritoriam, vt Beata Virgo non minùs, quàm cæteri deſcendentes ab ipſo per ſeminalem originem, conciperetur, & naſceretur in peccato originali; vtque careret originali iuſtitia in pœnam eiuſdem peccati. In ea videlicet vi demeritoria intrinſeca peccati Adæ, inque eiuſdem ſufficientia, quantùm eſt ex ſe, ad inquinandam Beatam Virginem, ſicut cęteros, & denominante extrinſecè Beatam Virginem debitricem incurrendi de facto peccatum originale, & carendi iuſtitia originali in pœnam peccati, conſiſtit debitum Beatæ Virginis, vt ea gratia careret, idq; peccatum cõtraheret reipſa. Vnde cum Chriſtus Dominus meritis ſuis reſtiterit virtuti illi demeritoriæ peccati Adæ, atque effecerit, ne virulenta eius vis ſerperet reipſa, atque afficeret in ſe intrinſecè Beatam Virginem,

ipſe

ipſe iiſdem ſuis meritis redemit redemptione præſeruatiua eandem Beatam Virginem iam debitricem totius mali incurrendi, ne de facto illud incurreret, neq; reipſa conciperetur cum peccato originali. Quare totum eiuſdem Beatæ Virginis priuilegium ſpeciale redundat in laudem gratiæ Chriſti, nec tollit quominùs Sanctiſſimam ſuam Matrem verè, ac propriè redemerit redemptione glorioſiore, quã quę cęteris mortalibus communis eſt. Cumulat itaque, non euacuat gloriam Redemptoris gloria Conceptionis IMMACVLATÆ.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ.LE ROMA VITTORIO EMANUELE

An Tenentibus ſententiam Negatiuam Peccati originalis in B. Virgine liceat argumenta Affirmatiuæ proponere, & diluere.

VIdetur quòd nō Primò quia: Verba vtriuſq; Summi Pōtificis Pauli V. & Gregorij XV. videntur ſatis clara, & dilucida, ſic enim ſe habent, *Tenentes Negatiuam, videlicèt, B. Virginem non eſſe Conceptam in Peccato originali, Affirmatiuam non impugnent, neque de ea aliquo modo agant, vel tractent,* ſed proponere, ſeù afferre Argumēta affirmatiuæ, & diluere, eſt impugnare affirmatiuam, & de illa aliquo modo agere, & tractare, ergò.

Secundò quia: Cæſar Carena in ſuo Tract. de Off. S.Inq. par.2. Tit.17. §. 11. dicit, virtute harum Bullarum nec directè, nec indirectè poſſe de opinione affirmatiua tractari, & probat ex formula eorum verborum, *aliquo modo*, quæ includunt omnem modum poſſibilem, maximè quando negatiuè ponuntur, vt in caſu noſtro, ergò etiam modus tractandi de affirmatiua indirectè, proponendo, ſcilicèt, eius argumenta, & diſſoluendo, eſt prohibitus, & interdictus per Bulias Pontificias.

Tertiò quia: *I*oannes à S. Thoma in p. 1. D. Thomæ diſp.2. art.2. recitatis litteris Papæ Gregorij XV. ad Margaritam Auſtriæ ait. His planè litteris edocemur, qua ſobrietate, grauitate, & circunſpectione loqui nos deceat, quantùm à proprij iudicij peruicacia, aut temeritatę, & ab opinionum propriarum adhæſione auelli, & tota

mentis; atque opinionum reſignatione ipſi glorioſiſſimæ, ac puriſſimæ Virgini ad pedes Romanæ ſedis deſeruire debeamus.

Sed contrà eſt Dicendum; Per huiuſmodi Bullas non interdici tenentibus negatiuã, affirmatiuæ argumenta proponere, & diſſoluere, vt negatiua Fidelium mentibus altiùs inſeratur, & veritas magis eluceſcat.

Probatur primò, quia impugnatio hic debet accipi in omni rigore, quia ſumus in odioſis, & prohibitorijs, tùm etiam quia verba, generalitèr loquendo, ſemper debent accipi in potiori ſignificatu l. 1. §. qui in perpetuum ff. ſi ager Vectigal. ſed impugnare in rigore affirmatiuam, eſt illam funditus euertere, oſtendendo illam eſſe vel impoſſibilem, vel Hæreticam, vel erroneam, non verò diſſoluere eius argumenta, nàm licèt aliqua eius argumenta ſoluantur, ſemper remanent alia, quibus illa remanet ſarctatecta in ſui probabilitate, ergo proponere argumenta affirmatiuæ, & illa ſoluere, non eſt vetitum per Bullas Pontificias Pauli V. & Gregorij XV. Hinc *A*mbroſius Catharinus in Opuſc. de Immacul. Concept. lib. 1. explicans, quid ſit impugnare Doctrinam D. Thomæ, docet, quòd ille verè Doctrinã D. Thomæ impugnat, qui in Vniuerſum, aut bona ex parte, quaſi non valdè vtilem improbat, & contemnit, aut (quod eſt horrendius) quaſi minùs Catholicam, aut hæreticam, tanquam vnam ex phialis iræ Dei, blaſphemat, ergò impugnare eſt cenſurare, & funditus in vniuerſum euertere, non autem impugnare, eſt aliqua argumenta contra-

trariæ ſententiæ proponere, & diluere.

Nec huic Doctrinæ obſtant ſequentia illa Bullæ verba. *Nec de ea aliquo modo tractent, vel agant*; quia vt benè notat Bonaccina tom. 3. de Cenſuris in particulari diſp. 2. q. 3. p. 34. proponere argumenta affirmatiuæ, vt ſoluantur, & diluantur, non eſt agere de affirmatiua, ſed de negatiua, tenentes enim negatiuam, & illam docentes in Scholis, ſicuti faciunt Scotiſtæ, & PP. Societatis Ieſu, qui propónunt Argumenta contraria Thomiſtarum ſequentium affirmatiuam, non agunt de affirmatiua, ſed de negatiua, & ſoluunt argumenta, vt veritas magis eluceſcat, & Diſcipulorum animis altiùs imprimatur: *Et quidem idem dicendum eſt*, inquit Bonaccina, *de eo, qui ſcribit pro ſententia negatiua, & argumenta affirmatiua proponit, & diluit*. Ergo illa verba nec de ea, tractent, vel agant, non obſtant, quò minùs liceat impugnare hoc modo, ideſt, proponendo, & diluendo argumenta affirmatiuæ.

Probatur ſecundò; Principalitèr Concluſio, quia tenentibus negatiuam prohibetur impugnare affirmatiuam, aut de illa aliquo modo tractare, aut agere in Concionibus, Lectionibus, Diſputationibus, & in alijs quibuſcunque Actibus publicis, ſed impreſſio Librorum neque eſt actus, neque eſt publicus, ergo. Et quidem quòd non ſit Actus ex eo probat Chriſtophorus Vega in ſua Theologia Mariana Tom. 1. Palæſtra 3. Certam. 15. fol. 115. quòd nomine Actus venit res citò tranſiens, at Liber impreſſus eſt res permanens, & inuenta ad nominis Immortalitatem, ergo.

 Quòd

Quòd etiam non ſit publicus ex eo probatur, quia publicitas non conſiſtit in indiuiſibili, ſed habet latitudinem, & ideò licèt Liber imprimendus, vel impreſſus poſſit dici publicus, ideſt, non clandeſtinus, aut occultus, non tamen eſt publicus publicitate, de qua Bullæ, ideſt, exercitus, & factus coram promiſcua Virorum, ac Mulierum multitudine, vt manifeſtè loquitur Pius V. in Bulla de hac eadem materia, ſuper qua Bulla Pij V. præmiſſa, & præcalendata Paulus V. & Gregorius XV. fundant Bullas à ſe editas, quibus prohibent Tractatum de Affirmatiua in Concionibus, Lectionibus, Diſputationibus, & quibuſcunque alijs Actibus publicis; & ratio eius prohibitionis eſt, nè ex aſſertione affirmatiuæ oriantur ſcandala, rixæ, & diſſidia in Populo Chriſtiano, vndè etiam in eadem Bulla *Pij* V. prohibetur, nè de hac materia loquamur lingua vernacula; At nomine Populi hic non veniunt Viri Docti, in quorum manibus Liber impreſſus verſatur; ergò:

Probatur tertiò, quia dato, & non conceſſo, quòd Bullis huiuſmodi ſit prohibitum impugnare hoc modo, videlicèt, proponendo, & diſſoluendo argumenta affirmatiuæ; vſus tamen, & conſuetudo in oppoſitum inualuit Romæ, Neapoli, & vbiuis Chriſtiani Orbis, Vrbibus, & Locis, in quibus vel imprimuntur, vel impreſſi iam venales proſtant in publicis Bibliothecis libri, & libelli de hac materia concertatorio, & ſcholaſtico more tractata, vidente, & ſciente Summo Pontifice, videntibus, & ſcientibus Locorum

Ordi-

Ordinarijs; In promptu ſunt tres Libelli impreſſi Romæ Anno 1655. de licentia Reuerendiſſimi Patris Raymundi Capiſucci S. A. P. Magiſtri, in quibus proponuntur tria vulgata argumenta de Redemptione, Baptiſmo, & Morte corporali B. Virginis, & ſoluuntur; ijdem Libelli venales proſtant in publicis Bibliothecis Romæ, Neapoli, & vbique Locorum; nec hucuſque contrà loqui, aut mutire auſus eſt nemo; ſed leges anteà latæ per contrariam conſuetudinem amittunt vim obligandi, vt benè notat Antonius de Eſcobar in ſua Morali Theologia tract. 1. c. 11. Vbi etiam docet, quòd quando ſuſcitatur dubium, circà legis intelligentiam, ad conſuetudinem, quæ optima legum interpres vocitatur, recurrendum eſſe, ergo dato, & non conceſſo, quòd ijs Bullis eſſet prohibita impugnatio modo explicato, proponendo argumenta contraria, & diſſoluendo, vi conſuetudinis poſtmodum introductæ, facta eſt licita, & permiſſa.

Probatur quartò quia: Lex vim ſuam omnem accipit à fine, quòd eſt adeò verum, vt communiter receptum ſit dictum illud, ceſſante fine legis, ceſſat lex, ſed finis harum legum, ſeù Bullarum fuit, non ſolùm præiudicium nullum afferre, ſed potiùs beneficium maximum cõferre Tenentibus negatiuam; vt declarat Gregorius XV. in Epiſt. ad Senatum *Hyſpalenſem*, qui tenebat negatiuam, ergò non prohibuit impugnationem affirmatiuæ, adducendo eius argumenta, & ſoluendo; tenet conſequentia, quia aliàs non ſolùm non contuliſſet beneficium, ſed etiam notabilitèr

præ-

præiudicaſſet tenentibus negatiuam, quia antè Bullas licitum erat tenentibus negatiuam, argumenta affirmatiuæ proponere, & diſſoluere, vt veritas magis eluceſceret, ergo ſi hoc eſſet prohibitum poſteà per Bullam Gregorij XV. notabile præiudicium inferretur tenentibus negatiuam, addito præſertim, quòd tolleretur illis primum, & potentiſſimum Defenſionis genus, quod eſt ſolutio argumentorum affirmatiuæ, tolleretur illis efficaciſſimum argumentandi genus, quod eſt, & dici ſolet, *ad Hominem*, ſeù ex conceſſis, & admiſſis ab Aduerſario, ergo cùm hæc omnia longè abſint à fine legis; à mente, & intentione Legislatoris, ità ſe declarantis, & prædictam Bullam edentis, firmum remanet per Apoſtolicas Bullas non prohiberi, quòd argumenta affirmatiuæ afferantur, & ſoluantur. Verba formalia Epiſt. Gregorij XV. datæ Romæ apud S. Mariam Maiorem Pontificatus ſui Anno II. Die 4. Nouembris 1622. hæc ſunt. *Vos autem ſcientiam ſalutis præclarè didiciſſe oſtenditis, cùm beneficium vobis eſſe tributum confitemini eo Decreto Apoſtolico, quo altercantium Theologorum diſſidia tollere, & cœleſtis Reginæ dignitati conſulere voluimus*, ergo Gregorius XV. Bulla illa ſua, ſeù Decreto intendit tribuere beneficium Ciuibus Hyſpalenſibus tenentibus negatiuam; At quodnam beneficium contuliſſet, ſi prohibuiſſet negatiuam defendi per ſolutionem argumentorum contrariæ, & affirmatiuæ ſententiæ?

Probatur quintò quia: Vi Epicheiæ, impugnationem eiuſmodi, quæ fit per propoſitionem argu-

gu-

gumentorum, & ſolutionem non prohiberi; quamuis per verba Bullæ ea prohiberi videantur, colligitur ex eo, quia impoſſibile moraliter eſt, nedum in Scholaſticis Tractatibus, ſed etiam in Concionibus ipſis, quòd argumenta affirmatiuæ non adducantur, & ſoluantur, vt patet in Concionibus impresſis Neapoli, & alijs vbique Locorum, quæ autem impoſſibile eſt comprehendi ſub lege, in Epicheiæ extrà legem ſunt, ſeù in lege non comprehenduntur; vt benè aduertit Antonius de Eſcobar loco cit.

Neque dicas; aliud eſſe, obiter, & vt dicitur per tranſennam, argumenta affirmatiuæ proponere, & ſoluere; & aliud eſſe, ex profeſſo, & ex inſtituto idipſum præſtare.

Nam contrà eſt, quia ex eo, quod prohibitum eſt, dicere in eadē Bulla, quòd Articulus de Immaculata Cōceptione B. Mariæ Virginis ſit definitus, neque obiter, & per tranſennam poſſumus id affirmare, ità ſi prohibita eſſet impugnatio affirmatiuæ, adducēdo eius argumenta, & ſoluēdo, neque obiter, & in Concionibus id eſſet licitum.

*A*d primum Reſp. Verba Bullæ non eſſe adeò clara, & dilucida, vt explicationem Doctorum non admittant, quamuis enim verus ſenſus, & declaratio, atque interpretatio Iudicialis Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſicuti & Canonum, & Concilij Tridentini ad ſolum Romanum Pontificem, & ad S. Congregat. Emin. Cardinalium ad hoc ſpecialiter Deputatam ſpectet; Interpretatio tamen Doctrinalis, ſiuè Doctoralis benè poteſt fieri à Theologis, Iuriſperitis, & Doctoribus.

Ità

Ità Miranda in ſuo Manuali q. 24. art. 12. expreſsè colligit ex Tridentino ſeſ. 25. can. 2. vbi id tanquam certum præſupponitur, & eo præſuppoſito, ijs præcipitur, vt Myſteria Fidei ad normam præfati Concilij Tridentini, & non aliter doceant, ſiuè interpretentur: & prætereà quia id ſemper obſeruatum fuit, & poſitum in communi praxi. Denique ſi leges Ciuiles, & Imperiales, Doctores, & Iuriſperiti declarant, & interpretantur, cùr leges Canonicæ, & Pontificiæ Bullæ nequibũt explicari à Theologis, & Canoniſtis?

Ad 2. Reſp. Quòd Cæſar Carena immediatè poſt adducta verba, Doctrinã à ſe datam explicat, ſubdens §. ſeq. intelligenda tamen hæc ſunt de modo indirecto, ex quo ſequitur damnatio opinionis; nam Mens Summi Pontificis fuit, opinionem affirmatiuam manere debere ſub terminis opinionis, donec aliter à S. Sede fuerit iudicatum.

Ad 3. Reſp. Generalibus ijs verbis Ioannis à S. Thoma (vt interim omittam in quolibet Iudicio, & Foro Hoſti, ſeù Aduerſario nil vnquam deferri, ſiuè *Fidei*, ſiuè Auctoritatis) ſolùm nos admoneri de ſeruanda ea grauitate, ſobrietate, & circumſpectione, quæ exigitur iuxtà tenorem prędictarum Bullarum, quæ quia ſarctatectæ manent, quamuis Affirmatiuæ argumẽta afferantur, & ſoluantur, ideò firmum manet, non eſſe prohibitum; à Pontificijs *Decretis* argumenta contraria afferre, & ſoluere.

Colligite ex his cũ Hugone Xiphilino in ſua Corol. Virg. fol. 74. qui publicationẽ Tractatuum pro Immacul. impedit, Põtificias Bullas videtur trãſgredi, quia id eſt potentiſſimũ impugnationis Genus.

DVODECIM
RADII

Quibus à Viſibilis Eccleſię Sole,& vero Luminum Patre Alexandro VII. Beatiſſimæ VIRGINIS MARIÆ Præſeruatio à Peccato Originali in primo ſuæ Animationis inſtanti illuſtratur, illuminatur.

VIx huic Operi vltimam Typographus manum admouerat,cùm eccè fauſtiſſimus Nũtius Piorum omnium ingenti gaudio corda perfudit;accepimus enim ex eo Romæ ab Alexandro VII.Eccleſiæ Catholicæ Clauum fęliciter tenente, emanaſſe Bullam in fauorem Marianæ Præſeruationis tenoris ſequentis,videlicèt.

SS.D.N.D. ALEXANDRI Diuina Prouidentiæ Papæ VII. Innouatio Conſtitutionum, & Decretorum in fauorem ſententię aſſerentis,Animam Beatæ Mariæ Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione à Peccato Originali præſeruatam fuiſſe, editorum. Alexander Papa VII. Ad perpetuam rei memoriam, Sollicitudo omnium Eccle-

ſiarum, quam, licet meritis & viribus longè impares, Dei Optimi Maximi voluntate, & prouidentia gerimus, in id Nos anxiè tenet intentos & vigilantes, vt ſcandala, quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione, & fragilitate neceſſe eſt vt veniant, quantum fieri poteſt pauciſſima exoriantur, vtque exorta quàm celerrimè, & quàm diligentiſſimè amoueantur: nam ijs per quos veniunt certam peccati perniciem, quibus verò præbentur præſens afferunt labendi periculum; quorum Nos pro noſtro paſtoralis officij debito, & damnum ſummoperè dolemus, & diſcrimine aſſiduè vrimur. Sanè vetus eſt Chriſtifidelium erga eius Beatiſſimam Matrem Virginem Mariam Pietas, ſentientium, eius Animam in primo inſtanti creationis, atque infuſionis in corpus fuiſſe ſpeciali Dei gratia, & priuilegio, intuitu meritorum Ieſu Chriſti eius filij, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præſeruatam immunem, atque in hoc ſenſu eius Conceptionis feſtiuitatem ſolemni ritu colentium, & celebrantium; creuitque horum numerus, atque huiuſmodi cultus poſt editas à felic. record. Sixto PP. IV. prædeceſſore noſtro in eius commendationem Apoſtolicas Conſtitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innouauit, atque obſeruari mandauit. Aucta rurſus, & propagatus fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam poſt erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, religioſum Ordine, & Confraternitates, ac conceſſas ab iiſdem indulgentias, ita vt accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Academijs

ad

ad hanc ſententiam, iam ferè omnes Catholici eã complectantur. Et quia ex occaſione contrariæ aſſertionis in concionibus, lectiònibus, concluſionibus, & actibus publicis, quòd nempè eadem Beatiſſima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in populo Chriſtiano, cum magna Dei offenſa, ſcandala, iurgia, & diſſenſiones, rec. mem. Paulus PP. V. etiam prædeceſſor noſter vetuit horum opinionem præfatæ ſententię contrariam publicè doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ mem. Gregorius PP. XV. ſimiliter prædeceſſor noſter ad priuata etiam colloquia extendit; mandans inſuper in fauorem eiuſdem ſententiæ, vt in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac diuino officio celebrandis tàm publicè, quàm priuatim, non alio quàm Conceptionis nomine vti quicumque debeant. Nihilominus, prout venerabiles fratres Epiſcopi ferè omnes Hiſpaniarum cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis datis ad Nos litteris expoſuerunt, accedente etiam inſinuatione charíſſimi in Chriſto filij noſtri Philippi earundem Hiſpaniarum Regis Catholici, qui ſpecialem ſuper hoc miſit ad Nos Oratorem venerabilem fratrem Ludouicum Epiſcopum Placentinum, per quem etiam delatæ fuerint ad Nos ſupplicationes Regnorum earundem Hiſpaniarum, pergunt aliqui contrariæ illius operationes aſſertores contra præfatas prohibitiones tum priuatim, tum publicè præfatam ſententiam aut impugnare, aut vellicare, & fauorem à Romanis Pontificibus cultui, & feſto ſecundùm illam præſtitum ita interpretari,

 vt

vt fruſtrentur;imò Eccleſiam Romanam huic ſen-tentiæ,& cultui iuxtà illam Beatæ Virgini exhibito fauere negant,pios Chriſti fideles è ſua pacifica quaſi poſſeſſione deturbare conando; vnde offenſiones,ſcandala,& iurgia, quibus obuiare voluerũt Paulus V. & Gregorius XV. noſtri prædeceſſores perdurant adhuc, & ex occaſione eorundem aduerſantium maiora his incommoda in poſterum prudenter,& meritò timentur. Quapropter ſuper his tam præfati Epiſcopi cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis,quàm memoratus Philippus Rex,eiuſq; Regna Nobis pro opportuno remedio inſtanter ſupplicari fecerunt. Nos conſiderantes,quòd Sancta Romana Eccleſia de intemeratæ, ſemperque Virginis Mariæ Conceptione feſtum ſolemniter celebret, & ſpeciale, ac proprium ſuper hoc officium olim ordinauit iuxta piam, deuotam, & laudabilem inſtitutionem, quæ à Sixto IV. prædeceſſore noſtro tunc emanauit; volentèſque laudabili huic pietati,& deuotioni, & feſto, ac cultui ſecundùm illã exhibito in Eccleſia Romana poſt ipſius cultus inſtitutionem numquam immutato,Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum exemplo fauere, necnon tueri pietatem & deuotionem hanc colendi & celebrandi Beatiſſimam Virginem,pręueniente ſcilicet Spiritus ſancti gratia,à peccato originali præſeruatam;cupientèſque in Chriſti grege vnitatem ſpiritus in vinculo pacis,ſedatis offenſionibus,& iurgijs, amotiſque ſcãdalis,conſeruare:ac pręfatorum Epiſcoporum cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis, ac Philippi Regis,

eiuſque

eiuſque Regnorum oblatam Nobis inſtantiam, ac preces, Conſtitutiones, & Decreta à Romanis Põtificibus prædeceſſoribus noſtris, & precipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in fauorem ſententiæ aſſerentis, animam Beatæ Mariæ Virginis in ſui creatione & in corpus infuſione Spiritus ſancti gratia donatam, & à peccato originali pręſeruatam fuiſſe, necnon & in fauorem feſti, & cultus Conceptionis eiuſdem Virginis Deiparę ſecundum piam iſtam ſententiam, vt præfertur, exhibiti, innouamus, & ſub cenſuris, & pœnis in eiſdem Conſtitutionibus contentis obſeruari mãdamus. Et inſuper omnes, & ſingulos, qui præfatas Conſtitutiones, ſeu Decreta ita pergent interpetrari, vt fauorem per illas dictæ ſententiæ, & feſto, ſeu cultui ſecundùm illam exhibito fruſtrentur, vel qui hanc eandem ſententiam, feſtum, ſeu cultum in diſputationem reuocare, aut contrà ea quoquo modo directè, vel indirectè, aut ſub quouis prætextu, etiam definibilitatis eius examinandæ, ſiue ſacram Scripturam, aut Sanctos Patres, ſiue Doctores gloſſandi, vel interpetrandi, denique alio quouis prætextu, ſeu occaſione, ſcripto, ſeu voce, loqui, concionari, tractare, diſputare, contrà ea quicquam determinando, aut aſſerendo, vel argumenta contra ea aſſerendo, & inſoluta relinquẽdo, aut alio quouis excogitabili modo diſſerendo, auſi fuerint, præter pœnas, & cenſuras in Conſtitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos ſubiacere volumus, & per præſentes ſubijcimus, etiam concionandi, publicè legendi, ſeu docendi, & interpretandi

tandi

tandi facultate, ac voce actiua, & paſſiua in quibuſcumque electionibus eo ipſo abſque alia declaratione; à quibus pœnis non niſi à Nobis ipſis, vel à ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus abſolui, aut ſuper ijs diſpenſari poſſint: necnon eoſdē alijs pœnis noſtro, & eorumdem Romanorum Pōtificum ſucceſſorum noſtrorum arbitrio infligendis pariter ſubiacere volumus, prout ſubijcimus per præſentes, innouantes Pauli V. & Gregorij XV. ſuperiùs memoratas Conſtitutiones, ſiue Decreta. Ac libros in quibus prę fata ſententia, feſtum, ſeu cultus ſecundum illam in dubio reuocatur, aut contra ea quomodocumque, vt ſupra, aliquid ſcribitur, aut legitur, ſeu locutiones, conciones, tractatus, & diſputationes contra eadem continentur, poſt Pauli V. ſupra laudatum Decretum edita, aut in poſterum quomodolibet edenda, prohibemus, ſub pœnis, & cenſuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipſo facto abſque alia declaratione pro expreſsè prohibitis haberi volumus. & mandamus. Vetamus autem Sixti IV. Conſtitutionibus inhærentes, quempiam aſſerere, quòd propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicèt, glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cùm à Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede nondum fuerit hoc deciſum, prout Nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus; quin potiùs contrariam illam opinionem hæreſis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus

eos

eos ſubiecit Sixtus IV. alijque prædeceſſores noſtri Romani Pontifices, grauioribus alijs pœnis ſubijcimus; quas in contrafacientes huic noſtræ Conſtitutioni ſuperiùs inflixímus. Volentes, quòd contra huius noſtræ Conſtitutionis transgreſſores, etiam regulares cuiuſuis Ordinis, & Inſtituti, etiam Societatis Ieſu, & quomodolibet exemptos, & alias quaſcumque Eccleſiaſticas, & ſęculares perſonas cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, aut dignitatis tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæcularis, vt præfertur, tam Epiſcopi, & Prælati ſuperiores, aliique locorum Ordinarij, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquiſitores procedant, & inquirant, atque in eos ſtrictè animaduertant: Nos enim ijs, & eorum cuilibet contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coercendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatẽ ijſdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eoſque, vt præfertur, procedere, inquirere, & punire diſtrictè præcipimus, & mandamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſuis indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſuis perſonis quantumcumque qualificatis, & in quacumque, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, & quauis alia dignitate, & honore conſtitutis, etiam quòd contra eos procedi, interdici, ſuſpendi, vel excommunicari nequeat quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus, & eorum ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de eis, ipſorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, in-

diuidua,

diuidua, & expreſsa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam id importantes, clauſulas, mentio habenda, aut alia exquiſita forma obſeruanda foret, tenoris huiuſmodi ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque cõtrariis quibuſcumque. Vt autem hæc noſtra Conſtitutio, & præmiſsa omnia ad eorum omnium, quorum intereſt, notitiam congruentius peruenire poſſint, in virtute ſanctæ obedientię, & ſub pœna priuationis ab ingreſſu Eccleſiæ eo ipſo incurrenda præcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis locorum Ordinarijs, ac eorum Vicariis, Suffraganeis, & Officialibus quibuſcumque, & alijs ſingulis, ad quos quomodolibet ſpectat, & pertinet, quatenus huiuſmodi noſtram Conſtitutionem ſingulis ſuæ Diœceſis, vel diſtrictus Prædicatoribus, & alijs, quibus expedire iudicauerint, opportunè inſinuent, & publicent, ac inſinuari, & publicari faciant, ne quis in poſterum quoquo modo ignorantiam de præmiſſis poſſit prætendere, aut ſe contra præmiſſa valeat excuſare. Volumus, & ſimiliter eadem auctoritate decernimus, & mãdamus, quòd præſentes litteræ per aliquos ex noſtris Curſoribus in Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum, & Cancellarię Apoſtolicæ valuis, ac in acie Campi Floræ de Vrbe de more publicentur, & affigantur, quæ affixio & publicatio ita omnes, & ſingulos, ad quos ſpectet, afficiat, & arctet, ac ſi illis perſonaliter intimatę

fuiſſent;

ſuiſſent; & quod illarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarijs ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus litteris adhiberetur ſi oſtenſæ, vel exhibitæ forent. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris die viij. Decembris MDCLXI. Pontificatus noſtri anno ſeptimo. S.Vgolinus. Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo primo, Indictione 13. die vero 11. menſis Decembris, Pontificatus Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D.N.D. Alexandri Diuina Prouidentia Papæ VII. anno ſeptimo, ſupraſcriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt in Baſilicarum S. Io: Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ valuis, & in acie campi Floræ, vt moris eſt, per me Andream Caſtruccium prælibati Sanctiſs. D.N.D.PP. Curſ. Pro D.Mag. Curſ. Petrus Paulus Deſiderius Curſ. Ioannes Cauallero Notarius publicus Apoſtolicus.

Hanc ſanè Bullam mihi attentiſſimè legenti; & (vt par erat) ponderanti, duodecim affulſere Radij, quibus à viſibilis Eccleſiæ Sole, & vero Luminum Patre Mariana Præſeruatio illuſtratur.

1 Et quidem Primus ex ipſomet Titulo Alexandrinæ Bullæ emiſſus Radius diſycit tenebras Dubitationis illius, quam Nonnulli excitarunt, aſſerentes; Bullas Anteriorum Pontificum Sixti IV. Pauli V. Gregorij XV. æquè fauiſſe vtriq; Sententiæ, Affirmatiuæ ſcilicèt, & Negatiuæ Peccati originalis in B. Virgine; Titulus enim Alexandri-

næ Bullæ clariſſimè declarat, & explicat, Innouari Bullas Anteriorum Pontificum editas in fauorem Sententiæ Aſſerentis Animam Beatiſſimæ Virginis in ſui Creatione, & ad corpus infuſione à Peccato Originali Præſeruatam fuiſſe, facto interim alto ſilentio de Oppoſita. Vide 2.p. Ar.I.IX.& XV.huius Tract.

2 Secundus Radius diſycit tenebras Dubitationis illius, qua dicebatur; Nouiſſimis temporibus cæpiſſe Feſtum Marianæ Præſeruationis à tẽpore Sixti IV. declarat enim Alexandrina Bulla, quòd Vetus fuerit Chriſtifidelium Cultus Marianę Pręſeruationis. Vide 2.p.Art.1.huius Tract.

3 Tertius Radius diſycit tenebras Dubitationis illius, qua controuertebatur; An ex Inſtitutione Religionum, & Confraternitatum ſub Titulo Immaculatæ Conceptionis approbantibus Summis Pontificibus Negatiua ſententia, ſeù Mariana Præſeruatio firmaretur: declarat enim Alexandrina Bulla, ex Inſtitutione Religionum, & Confraternitatum approbantibus Summis Pontificibus auctum eſſe Cultum, & Venerationem ergà Marianam Præſeruationem. Vide 2.p.Art.VII. huius Tract.

4 Quartus Radius diſycit tenebras Dubitationis illius, qua quærebatur; An ex Conceſſione Indulgentiarum Mariana Pręſeruatio, & Cultus ergà illam firmarentur, pleriſq; negantibus fuiſſe vnquam conceſſas Indulgentias Immaculatam Conceptionem venerantibus; declarat enim Alexandrina Bulla; Cultum, & Venerationem ergà

Ma-

Marianam Præſeruationem auctam eſſe ex Conceſſione Indulgentiarum; & conſequenter declarat, verè conceſſas fuiſſe Indulgentias colentibus, venerantibus Marianam Præſeruationem. Vide 2. p. Art. V. huius Tract.

5 Quintus Radius diſycit Tenebras Dubitationis illius, qua quærebatur, vtra ſententia eſſet communis inter Fideles, Affirmatiua nè, An Negatiua; declarat enim Alexandrina Bulla, quòd communis inter Fideles fuerit Negatiua, quia declarat, quòd Catholici ferè omnes eam tenuerint, & plerę q; celebriores Academiæ, eam defēderint; conſequenter declarat, quòd Negatiua habeat illam eandem certitudinem, quam habemus de ſalute Adæ Humani Generis Prothoparentis. Vide 2. p. Art. X. & Art. XIV. huius Tract.

6 Sextus Radius diſycit tenebras earum Interpretationum, quibus fauores olim impenſi à Summis Pontificibus, tàm Feſto Marianæ Præſeruationis, quàm ſententiæ illam tuenti,ità gloſſantur, ac ſi fauores non eſſent: declarat enim Alexandrina Bulla, verè fauores fuiſſe, atq; adeò Summos Pontifices Romanos impensè fauiſſe Marianæ Prę ſeruationi. Vide 2. v. Art. IX.

7 Septimus Radius diſycit tenebras earum omnium Diſputationum, Concionum, Tractatuum ex profeſſo, ſiuè ſcripto, ſiuè voce vellicantium, & impugnantium Negatiuam: Vetat enim Alexandrina Bulla, & diſtrictè probibet omnes eiuſmodi Diſputationes, Conciones, Tractatus, & pęnas olim Tranſgreſſoribus inflictas, auget

& cumulat. Vide 2. par. Artic. X.

8 Octauus Radius diſycit Tenebras omnis prætextus excogitabilis, quo quis directè, vel indirectè, et propoſita argumenta contraria relinquendo inſoluta, Feſtum, & ſententiam de Mariana Præſeruatione impugnaret, id enim diſtrictè prohibet Bulla Alexandrina. Vide 2. p. Art. X. & Art. IV.

9 Nonus Radius diſycit Tenebras eius prætextus ſpecialis, quo quis olim in Regnis Hyſpaniarum ſub colore proximæ Definibilitatis examinandæ, auſus eſt Chriſtifideles è ſua quaſi pacifica poſſeſſione colendi hoc Feſtum, tenendi Sẽtentiam Negatiuam, deturbare. Vide 2. p. Art. V. huius Tract.

10 Decimus Radius diſycit tenebras alterius prætextus ſpecialis, quo quis ſub colore Sacram Scripturam interpetrandi, SS. PP. aut Doctores gloſſandi, Sententiam Negatiuam impugnat; Prohibet enim Alexandrina Bulla huiuſmodi Gloſſas, & Interpretationes Sacræ Scripturæ, SS. PP. & Doctorum in præiudicium Feſti, & Sententię Negatiuæ. Vide 2. p. Art. VIII. & X.

11 Vndecimus Radius diſycit tenebras eius Dubitationis, & Controuerſiæ diù aliàs agitatæ quodnam ſit Obiectum Feſti Conceptionis, & & quid intendant Fideles celebrare, dùm hoc Feſtum celebrant; declarat enim Alexandrina Bulla, Fideles hoc Feſtum celebrantes, nihil aliud intendere, & nullum aliud obiectum eius celebrationis habere, niſi Marianam Præſeruationem, ſeu Animam